

1.
 2.
 3.
 end-
 mens-
 de. nu
 n. 12
 du in
 Subst
 4.
 5.
 6.
 7.



8772

PACIS COMMENDATIO

19
11

QVAM

1769 18

P R A E S I D E

D. G E O R G I O S T E P H A N O
W I E S A N D I O

P R O F E S S O R E I N S T I T V T I O N V M O R D I N A R I O

C V R I A E P R O V I N C I A L I S S C A B I N A T V S

A T Q V E O R D I N I S I V R E C O N S V L T O R V M

A S S E S S O R E

D I E X X I I I . D E C E M B R I S A . S . R . C I O I O C C L X V I I .

H . L . Q . S .

A B A D V E R S A R I O R V M A R G V M E N T I S P V B L I C E D E F E N D E T

F R I E D E R I C . A V G V S T . S C H I L L

D R E S D E N S I S



V I T E B E R G A E

E X O F F I C I N A G E R D E S I A N A



PACIS COMMENDATIO

OVAN

GEORGIO STEPHANO

WISSANDIO

PROFESSORE INSTITUTIONVM ORDINARIO

IN REPTICIS SCOLARIBVS

ATQVE ORDINIS ABBATIS

ASSESSORIS

DIE XXIII DECEMBERIS A. C. MDCCCLXXII

U. S. Q.

AN ADVERSARIORVM ARGUMENTA VICE DEFENDIT

FRIEDRICH AUGUST SCHILLER

PREBENDIS

IN REPTICIS SCOLARIBVS

U. S. Q.

EX OFFICINA GERSDORFIANA



A
SON ALTESSE ELECTORALE
MONSEIGNEUR
FREDERIC AUGUSTE

DUC DE SAXE, DE JULIERS, DE CLEVES,
DE BERGUE, D'ANGRIE ET DE WESTPHALIE,
ARCHI-MARÉCHAL ET ELECTEUR DU ST. EMPIRE
ROMAIN, LANDGRAVE DE THURINGUE MARGGRAVE
DE MISNE, DE LA HAUTE ET LA BASSE LUSACE,
BOURGGRAVE DE MAGDEBOURG, COMTE-PRINCE
D'HENNEBERG, COMTE DE LA MARCKE, DE RA
VENSBERG, DE BARBY ET D'HANAU,
SEIGNEUR DE RAVENSTEIN ETC.

MON TRÉS-GRACIEUX SOUVERAIN



MON TRÈS-GRACIEUX SOUVERAIN
MONSIEUR
FRÉDÉRIC AUGUSTE
DUC DE SAXE, DE JULIERS, DE CLEVELAND,
DE BRUNSWICK, D'ANGLIS ET DE WESTPHALIE,
ARCHI-MARSHAL ET ELECTEUR DU SAINT-EMPIRE
ROMAIN LAUDOIRAVANT DE THURINGIE MARCHAVE
DE SASSONIE, DE LA HAUTE ET LA BASSE SASSONIE,
BOURGVALE DE MAGDEBOURG, COMTE-PRINCE
D'ANHALT, COMTE DE LA MARCHIE DE
SAISON, DE SARRIS ET DE
SEIGNEUR DE RAVENSTEIN etc.

MONSEIGNEUR



*C'est avec la plus grande devotion que
j'ose consacrer A VOTRE AL-
TESSE SERENISSIME les
premières de mes fruits academiques.*

*Plus ELLE par SES bienfaits approche de la Di-
vinité, qui regarde avec bonté les hûmbles mor-
tels, et qui aime à les soulager dans leurs be-
soins, avec d'autant plus de confiance j'espère,
qu'*

qu' ELLE jettera un regard gracieux sur ces lignes, et qu' ELLE me permettra, que je les mette à ses pieds, comme une petite marque de la soumission la plus respectueuse.

Je laisse à d'autres gens, pourvus de beaucoup d'esprit et d'éloquence, le soin de célébrer les éclatantes vertus, qui brillent en VOTRE ALTESSE SERENISSIME, je laisse ce soin à d'autres, de peur qu'au lieu de peindre dignement ces éminentes qualités, je ne les obscurcisse par des louanges peu proportionnées à la grandeur de leur objet.

Je ne veux rien exprimer que les sentiments de mon coeur touché de la plus vive reconnoissance.

VOTRE ALTESSE SERENISSIME
m'a donné plusieurs marques évidentes de SA grace
inestimable; ELLE m'a mis en état d'apprendre
par

par des Docteurs fidèles les Arts et les Sciences,
qu'ELLE protège avec tant de magnanimité.
Je révère cette grace précieuse avec dévotion et
reconnoissance, et je ferai, durant toute ma vie,
tous mes efforts, pour m'en rendre de tems en tems
plus digne, par une obéissance exacte, par une appli-
cation perpétuelle, et par une fidélité inébranlable.

Le Toutpuissant veuille combler de prospéri-
tés VOTRE ALTESSE SERENISSIME,
sa gracieuse MERE et le sage et héroïque
XAVIER! Il fasse vivre toute LA MAI-
SON ELECTORALE jusqu'aux tems les
plus reculés dans un bonheur accompli! Le Très
Haut donne A VOTRE ALTESSE SERE-
NISSIME le contentement de revoir souvent
dans une félicité parfaite le Jour d'aujourd'hui!
Jour que tous les fidèles sujets bénissent de vœux
ardens et sincères. Il LVI donne la satisfaction
de



de voir par une longue suite d'années toute la Sa-
xe dans un état florissant et heureux!

Je recommande A VOTRE ALTESSE
SERENISSIME ma destinée et mes espéran-
ces avec cette profonde vénération, avec la quelle
je vis

MON SEIGNEUR
DE VOTRE ALTESSE SERENISSIME

*le très-humble, très-obéissant,
et très-fidèle serviteur et sujet.*

Wittenberg
ce 23 Decemb.
1767.

FREDERIC AUGUSTE SCHILL.





Instituti ratio.



APIENTER omnino constituerunt Principes Saxoniae, vt ii, qui litterarum discendarum caussa in academiis aliquamdiu versati sunt iuuenes, prius quam inde discedant, diligentiae aliquod specimen edant, vt, quid et quantum in doctrinis profecerint, iis, quibus hac de re iudicandi potestas est, ostendant. Quam quidem sanctionem optimus quisque tanto maioribus praedicabit laudibus, quando eadem vberiora vniuersae reipublicae praebet commoda. Ita enim cauti iuuenes ipsa legis auctoritate adducti, maiorem diligentiam iis doctrinis, a quibus spem gratae, quam
B optant,



optant, fortunae repetunt, praestant, et patroni, qui studia honesta variis beneficiis liberaliter iuuant, laetos praeritae liberalitatis fructus capiunt. Quas rationes si quis alius, ego certe lubenter sequor, quo et Principi munificentissimo, qui me infinitis exornauit beneficiis, pium obsequium praestem¹, et parenti indulgentissimo, cui me obstrictissimum et esse, et fore semper lubenter confiteor, gratam mentem significem. Dabunt vero humani rerum censores mihi adhuc iuueni nullis doctrinae subsidiis munito, argumentum popolare quidem, reconditum tamen variisque difficultatibus implicitum accedenti, hanc veniam, vt, cum tenuitatem ingenii doctrinae quae inopiam animaduertant, magis consilium, cur me ad scribendum contulerim, quam specimen ipsum, quod propono, respiciant. Quod si ea, quae debui, non praestiti, feci tamen, quae potui, certeque spero fore, vt aetatis imbecillitas et fortassis ipsa rei pertractandae difficultas iustam mihi excusationem afferat. In ipso vero, quod nunc excutiendum sumo, argumento ita versabor, vt primo de pace in vniuersum deque magnis eius commodis exponam eaque cum bellorum incommodis comparem, deinde fontes, vnde pacis tuendae necessitas manat, aperiam eamque ab aduersariorum iniuriis vindicem, consilia denique varia de pace in perpetuum conseruanda, ea qua par est, modestia, subministrem. Omnia vero, quae dicturus sum, innituntur certissimis iuris sempiterni praecceptis



ceptis, homines ideo esse natos, vt vnusquisque sua aliorum-
que commoda augeat, amicis humanitatis carissimae vinculis
omnes esse copulatos, nec vnum cum detrimento alterius suas
vtilites quaerere posse, quae cum tam manifesta certaue sunt,
vt magna expositione haud egeant, repetere nolui, ne lectori-
bus meis diffidere viderer, quos spero fore tam bonos, vt
commoda, quae laudo, appetenda, odiosa vero incommoda
fugienda esse concedant. Quam ob causam sine vlla cuncta-
tione ad rem ipsam accedo.

Pax describitur.

IAM primo pacis imaginem vt ab ipsa natura exprimitur,
depingam. Est vero pax in genere spectata grata securitas,
qua vniuersi homines, cum intuitu personarum, quas susti-
nent, tum intuitu rerum, quas possident, fruuntur, ita vt vi-
tam ab omni vi tutam nullaue discordia turbatam agant.
Quodsi cui haec descriptio nimis vaga neque satis ad homi-
num magna ex parte peruerse viuentium mores accommodata
esse videatur, is quaeso cogitet, nos pacis perfectissimae, qua-
lem optimus quisque et optat et commendat, leuem adumbra-
tionem facere, quam etsi semper inter homines fuisse pererram
concedimus, animo tamen laeto concipimus, et, vt alii eius
iucunditatem attentius contemplantur, in communem quasi
conspectum producimus. Strictioribus tamen terminis eandem



circumscriptam ita proponimus, ut sit status cum hominum in genere, cum gentium in specie, in quo secura quies a violentis certationibus maxime aliena dominatur. Repudiamus igitur friuolam opinionem eorum, qui talem statum solis gentibus proprium esse putant, nec cum omnibus hominibus communicari volunt, non aliter, ac si ad certamina commouenda copioso semper opus esset populo. E parte tamen contraria non omnis obiurgatio, quae saepenumero ad corrigendos improborum mores et ad tuendam iuris aequabilitatem est necessaria, tristi belli nomine erit appellanda, propterea quod in hoc semper certamen violentum inest. ^{a)} Quietem in plena tranquillitate ponimus, quae omnes iuribus, siue ea a natura siue a pactis oriuntur, lubenter perfrui finit, horribilem armorum vim tumultusque valde perniciosos respuit, nec alios acerba plenaque ruinis violentia affligit. Violentia quibuscunque exercetur armis, parum interest. Hinc quoque veteres iureconfulti Romani sub armis et telis lapides, fustes et alia, quibus vitae et bonis aliorum nocetur, instrumenta contineri recte statuerunt. ^{b)} Variare arma pro temporum morumque diuersitate gentesque moratiores a quibusdam armis utilitatis honestatisque causa consulto abstinuisse, ^{c)} prisca aeque ac recentiores scriptores testantur.

Pacis

^{a)} GROTIUS de iure belli et pacis L. 1. b) L. 233. §. 2. de V. S. c. 1. §. 2. bellam dicit esse statum per vim certantium.

^{c)} v. c. a veneno, GELLIUS nostr. Agric. L. 3. c. 8.

*Pacis praestantia in genere monstratur.*

Nunc quae sint pacis commoda, strictim exponamus. Cuius quidem praestantia vel ex eo apparet, quod sapientissimus omnium rerum conditor hominibus hocce donum non modo ipsa natura concesserit, verum etiam iisdem naturale pacis seruandae desiderium idque vehementissimum indiderit. Est enim status pacis longe antiquissimus atque humanae naturae maxime consentaneus, ^{d)} quo primi homines feliciter vsi vitam egerunt satis beatam, id quod poetae veteres ficta saeculi aurei descriptione haud obscure declarasse videntur. ^{e)} Ipsa igitur antiquitas magnam paci auctoritatem conciliare posset, nisi hoc argumento in commodorum, quae inde in vniuersum genus humanum redundant, abundantia aequo facile careremus animo. Sed multo pluribus iisdemque maioribus praestat commodis, quorum praecipua in vnam quasi summam colligere iuuabit. Nihil sane vitae humanae contingit stabili securitate optabilius. Est magna voluptas videre agros bene cultos hortosque fructuo-

B 3

fissimis

^{d)} PUFFENDORFF *de offic. hom. et civ.* L. 2. c. 16. §. 1. pacem existimat esse statum hominis proprium, quo is a brutis discernitur. In opere vero maiore de iure naturae et gentium L. 2. c. 5. omnes leges naturae ad pacem seruandam spectare statuit. Adde

BOEHMERI *iur. publ. vniuersale part. general.* t. 1. §. 34.

^{e)} HESIODVS *oper. et dieb.* L. 1. v. 109. sequi. SCHWARZII *d. de lapsu primor. humani generis parentum a paganus adumbrat.* §. 4. sequi.



fissimis arboribus confitos, aspiciere greges nitidos inque pascuis laetis secure errantes, ingredi silvas opacas arboribusque proceris instructas, contemplari pagos vetustos villulasque viliter extructas, peragrarere vrbes sumtuosis saepe aedificiis exornatas, artificum opificumque admiranda sane opera venerandaque antiquitatis monumenta perlustrare, splendidos iudicum confessus amplosque ciuium ordines aequitatis concordiaeque vinculis amice inter se iunctos intueri, industriae laborumque honestis iisdemque certis frui praemiis, societates inire vitae humanae viles, initas vero fide et constantia tueri, commercii quaestuosis opes et acquirere et augere, vitam denique agere tranquillam atque omnibus, quibus felicitas humana censetur, bonis beatam. Tot et alia commoda pax diuturna gignit, quae vt eo cognoscantur melius, distinctius explicare inque certas partes distribuere vix erit incommodum. Quodsi nonnullis hocce studium non videbitur ingratum, ceteros, qui vel ita sunt ferrei, vt pacis iucunditate non commoveantur, vel ita iniqui, vt vera et honesta amare recusent, parum curabo.

*Pacis bellique collatio religionis morumque
caussa facta.*

QVOD officium omnibus fere gentibus etiam crassae superstitioni deditis, semper visum est praecipuum, quod vti vere est, ita debet, esse hominibus longe carissimum, Deum caste colere,



colere, sacra publica vel priuata pie facere, coetusque religionis augendae gratia congregatos diligenter obire, hoc inprimis pacis tempore commodissime potest praestari. *f)* Tunc enim templa sacrosancta statim horis lubenter aperiuntur, conciones sacrae liberaliter atque ingenue habentur, quibus et senes decrepiti et robusti iuuenes deuota mente interfunt, variaque pietatis religiosae munera egenis aliisque aduersa fortuna afflictis suppeditantur. Sed eheu, quot et quantas perturbationes facit tristis bellorum calamitas! Saepe enim hostis furibundus ne sanctis quidem templis parcit, eaque nulla coactus necessitate, temere vastat et diruit, vel profanis saltim vsibus accommodat, quin venerandos pietate sacerdotes barbaramente tractat. *g)* Miseri vero ciues variis calamitatibus affecti, impediuntur, quominus conuentus religiosos frequentent, ipsaque in templa petus pessimis curis distractum afferunt. Quin aditum ad ea saepe interclusum, vel faenis militibus eadem fuisse septa, non sine moerore relatum legimus. Huc accedit aliud, quod ex bellis diuturnis potissimum oriri solet, incommodum, idque detestandum maxime, morum scilicet prauorum barbaries vitiorumque late grassantium impunitas. Omnes qui modo aliquo humani-

f) Quantum religio reipublicae profuit, praeclare exposuit *Perill. de VATEL in iur. gent. P. 7. c. 12.*

g) Quantum hosti in sacra liceat, praece-

teris docte ostendit *SCHWARZIVS in Spec. i. controuers. iur. nat. et gent. ex histor. Graeca illustrat.*



manitatis sensu ducuntur, populi, morum honestatem atque elegantiam, non tam verbis commendare, quam potius factis demonstrare voluerunt. Quae quidem laus in primis Graecis Romanisque debetur, qui etsi superstitiosae religionis vanitatibus capiebantur, mores tamen bonos in omnibus negotiis obseruarunt, publicisque legibus eosdem stabilierunt. Quem quaeso non delectat iuris ciuilis pudorem naturalem praeclaramque humanitatem acriter tuentis casta verecundia? Quam uti sexcentis propemodum exemplis comprobare possem, paucis tantum ostendam. Ita senatoris filiam, neptim, proneptim libertino, qui artem ludicram fecit, cuiusue pater materue eandem exercuerit, nubere non posse, nec eiusmodi coniunctionem honesto nuptiarum nomine appellari posse, ait Modestinus. *h)* Conditiones turpes legatis adscriptas, iidem omni esse destitutas et pro non adiectis habendas, honeste fati statuerunt. *i)* Quanti vero humanitatem fecerint, vel ex eo intelligitur, quod, cum iure ciuili esset permixtum, ut si quis vinum doliis comprehensum alteri vendidisset, atque eundem

h) L. 42. §. 1. D. de ritu nupt. cum qua coniungenda L. 43. §. 10. et L. 49. eiu dem tituli.

i) L. 9. et L. 14. D. de condit. institut. Hinc PAVLVS senu. recept. L. 3. r. 4. §. 2. in SCHVLTING. iurisprud. ante-Iustin. p. 345; conditiones contra

leges et decreta principum, vel bonos mores adscriptae nullius sunt momenti; veluti si uxorem non duxeris, si filios non susceperis, si homicidium feceris, si barbaro habitu precesseris, et his similia.



facta denunciatione, vt istud reciperet, admonuisset, hic vero istud facere renueret, venditori omne vinum effundere liceret, ita vt emtor nihilo fecius ad persoluendum pretium esset obstritus, humanius acturum esse venditorem, si hac facultate non vteretur, iureconsulti acquitatis longe studiosissimi crediderint. *h)* Quid vero opus est ad prisca redire tempora, cum nostra fere aetas nihil magis quam morum politionum suauem profecto elegantiam vbiuis et suadeat, et consecetur? Iam enim defleximus ab istis, quae saeculis superioribus inualuerunt, opinionibus, solam ingenii praestantiam doctrinaeque reconditae varietatem afferre magnam gratiam, quae etsi adhuc iustis effertur laudibus, parum tamen sine morum vrbanitate valebit. Sed quis mores decoros in strepitu belli atque inter milites gregarios quaerat, quorum plerique etsi feueriori disciplinae adfuefacti sunt, ex infimo plebis grege collecti, nullo humanioris vitae vsu imbuti, libidinibus peruersis vehementer agitantur, quaestui faciendo aliisque turpiter vexandis nimis inhiantes. Ipsa quoque exercendi belli ratio sensum humanitatis obtundit, animosque cum eorum, qui varia damnorum genera faciunt, tum eorum, qui eadem perpeti coguntur, assiduitate malorum obdurat. Quodsi in direptionibus aliisque miseris ne

aequi-

h) VLPIANVS L. 1. §. 3. D. de peric. et commod. rei venditae. Hoc loco non possum non laudare CONRADI V.C. elegantissimam orationem de iuris et acquitatis inter se consensu.





aequitati quidem locus relinquitur, et durissima quaeque ex rationibus belli licita esse, vulgo statuitur 1) quomodo morum suauitas cum iisdem consistat, haud intelligo. Inde vero mores proueniunt efferati atque immanes, qui tantum abest ut cum humanitate consentiant, ut potius ab ea prorsus abhorreant.

Pax virtutum custos.

SED aliud sese mihi offert pacis commodum idque plane eximium, iuris scilicet aequiue custodia seueraque virtutis disciplina. Magna felicitatis pars, qua ciuitates sapienter conditae fruuntur, in legibus prudenter latis, quibus negotia publice priuatimque obeunda sunt regenda ortaeque super rebus dubiis controuersiae decidendae, merito ponitur. Quam ob rem principes salutis publicae studiosos iisdem laudabiliter faciendis magnam semper dedisse operam, ex omnium aetatum monumentis colligimus, quorum quidem immortalia merita nulla unquam delebit obliuio. Hanc vero felicitatem et alunt et augent amoena pacis tempora, tuendae legum auctoritati maxime apta. Vti enim tunc iis, quibus administrandae reipublicae cura commissa est, nihil, quod ad bene beateque viuendum pertinet, omittunt, ita et legibus ipsis sua constat auctoritas. Laetofane animo magistratus iuri dicundo praepositi in curiis conueniunt, querelas ciuium attente audiunt, ac super litibus sub-

1) OBRECHTVS d. de rar. belli.



tiliter acutaeque pertractatis sapientissima ferunt decreta. Succurritur pauperibus, eriguntur homines oppressi, adiuuantur pupilli et aegroti, certum denique omnibus, qui eodem destituuntur, auxilium praestatur, Coercetur dissoluta audacia, reprimuntur temeraria ludendi bonaque turpiter dissipandi libido, cauentur stupra et adulteria, fraudes vero perniciosae, damnaeque dolo malo illata seueris poenis vindicantur, sed haecce commoda ignorat, quin respuit belli faeuitia. Iam antiquissimis temporibus saepe clausae sunt curiae, ^{m)} quod etsi hodie rarius accidit, cum certamina gerantur longe humanius, inuitatum tamen prorsus haud est. Magistratus auctoritate sacrosancti despiciuntur, iudicesque senectute venerabiles dictis factisque contumeliosis violantur, et quae iisdem iuris tuendi causa data est potestas, imminuitur, vel potius infringitur. Controversiae honeste susceptae bonoque animo in iudicium deductae, ob inopiam vel inique protrahuntur, vel prorsus deferuntur. Calamitosi homines iisdemque plane innocentes nouis calamitatibus cumulantur maximasque iniquitates sufferre coguntur, quin saepe in infantes, feminas grauidas aliosque imbecillos faeuitum esse, quis est, qui nesciat? Sed iam animum ab hisce incommodis paullisper auocemus, et pacis commoda consecrari pergamus.

C 2

Pax

m) Exempla refert LIVIUS L. 2. c. 3. L. 4. c. 26. et passim alibi.



Pax ciuitates auget, bellum minuit.

PLERIQUE eruditissimorum virorum in eo consentiunt, tanto beatiorem esse civitatem, quanto pluribus iisdemque bonis instructa est ciuibus. Nam vt agri bene colantur, opificia artesque vtiles recte tractentur, copiosa opus est multitudo. Tristes sunt eae, in quibus perpauci reperiuntur homines, regiones, in quibus agri iacent inculti, siluae occurrunt horridae, viae spinis lapidibusque confitae, omniaque vitae commodioris subsidia ibi desiderantur, cum e contrario in prouinciis, quas celebris hominum frequentia incolit, agrorum fertiliū species, hortorum amoenissimorum suauitas, villularum vrbiumque magnifice exstructarum pulcritudo, ciuium denique praestantissimorum infinita varietas, summam et iucunditatem et vtilitatem offert. Sed audire mihi nunc videor ingratas eorum voculas, qui de nimia hominum multitudine tristes effundunt querelas, solitudines vastas terris cultissimis anteferunt, inque iis vitam longe suauiozem degi opinantur, propterea quod ibi pestifera luxuria, sordida auaritia peruersaeque libidines exulent. Sed vereor, ne illi falsis persuasionebus semetipfos turpiter decipiant. Quamquam enim ex commerciis opibusque inde comparatis multa saepe nascuntur vitia, odiosa scilicet superbia, insana profus luxuria, improbaque auaritia, haud minora tamen inde proueniunt commoda, vt morum humaniorum elegantia, arti-

um cum liberalium, tum illiberalium copia, varique quaestus
 iidemque honesti, cum terras incolis inopes inertia, barbaries
 ipsaque paupertas urgeat. Quodsi nihil in rebus humanis exi-
 sit omni ex parte perfectum, facile omnes, qui aequa ferunt
 iudicia, frequentiam civium tanquam uberrimam artium ac vir-
 tutum matrem laudabunt. Quodsi iure meritoque respublicae
 amplae incolisque laboriosis plenae multis laudibus praedicantur,
 pacem vel ideo, quia civitatem incolis auget, colere, pericu-
 losa vero bella vehementer fugere debemus, quibus coortis,
 non solum matrimonia propagandis civibus maxime idonea re-
 tardantur, verum etiam homines robusta iuventute adhuc vigen-
 tes ab hoste abducuntur saepeque parentes dulcissimis liberis,
 castae uxores fidis maritis, infirmi pupilli tutoribus prouidis pri-
 vantur. De clade hominum, qui in bellis horrendum in modum
 trucidantur, deque imperatorum militumque exercitatissimo-
 rum flebili morte, quo minus aliquid dicam, dolore impedi-
 or. Quis enim adeo est ab omni humanitate auersus, ut eandem non
 lugeat? Quis omnium rerum adeo imperitus, qui duces pru-
 dentia rerumque feliciter gestarum gloria insignes, ab imperito
 saepe milite in leui aliqua velitatione occidi nesciat? Quantam
 vero iacturam integrae gentes inde faciant, omnes, qui excel-
 las virtutes recte aestimare didicerunt, facile intelligunt. Abeat
 modo quis in eas, quae belli calamitates per aliquot annos fen-
 serunt, regiones, et pagos et vrbes attentius consideret, acer-
 bas



bas passim querelas de optimorum virorum interitu incolarumque inopia audiet. Sed ne bellorum miseras studiosius colligendo, in tristes nimis cogitationes incidamus, pacis utilitates persequamur.

Pax litterarum alumna.

VTI vero pax infinita vniuersis subministrat commoda, ita hoc non est contemnendum, quod plurimas easdemque vtilissimas artes procreat, procreatas honeste alit atque adauget. Nihil profecto est hominibus litterarum amantibus iucundo otio antiquius. Siue enim quis in rerum diuinarum humanarumque causis inuestigandis versatur, siue iuris aequiue fontes atque reipublicae sapienter regendae rationes exquirat, siue denique sanitatis conseruandae salutaria circumspicit remedia, gratum semper exoptat studiis suis otium. Nec eo carere volunt poetae, oratores, mathematici, grammatici, et qui rerum gestarum varietates posteris prodere solent. Sed, ne quis haec nimio fortasse pacis amore temere a me dici existimet, rationes aliquas subnectere iuuabit. Omnes, qui aliquamdiu litteris discendis dederunt operam, bene sciunt, mentem hominis metu angoribusque vacuam ad res praeclare excogitandas esse longe aptissimam, tumque eam, quae ab ipsa natura hominibus est infusa, sentiendi dicendique libertatem, vim prodere maximam. Inde iam veteres villulas solitarias, opaca nemora, secessus reconditos,

tos, aliaque loca ab omni strepitu remota alendis litterarum studiis iudicantur esse commodissima, ipsasque Musas non urbes, sed montes inhabitare finxerunt. Quodsi igitur vita tranquilla contingit doctrinarum amatoribus, animus, modo non sit plane obrufus, desiderii commouetur honestissimis, consilia parit salutaria, magnaue discendi cupiditate flagrat. Quam ut aliquo tantum modo sedet, omnes doctrinae locupletandae occasiones sollicitè anquirat, et quidquid ingenio acuendo, iudicio confirmando litterisque magis iuuandis inseruit, nobili studio arripit. Inde quoque videmus, ampla seminaria virtutis doctrinaeque multiplicis constitui, in quae lata confluit adolescentia insignibus eadem ornari priuilegiis, arcessi vndique peritos fidelesque artium magistros eosque fructuosis honoribus condecorari, exque eorum institutionibus, quas constanter et fideliter tradunt, prodire discipulos morum litterarumque elegantia politissimos, qui industriae priuatae fructus in lucem publicam prolaturi, in certamina litteraria, quae non sine causa maiores nostri paullo frequentius haberi voluerunt, tanquam milites exercitati descendunt, vnde palmas laudesque referunt atque in litteris spem omnis fortunae ponunt. Inde quoque tanta librorum vtilissimorum editur copia, qui partim rerum nouarum earumque vtilissime repertarum praestantia excellunt, partim fontes, ex quibus purissima omnis doctrinae hauriuntur praecepta, melius aperiant, partim vero ingeniosis accuratisque rerum expositionibus

noua



noua litteris accendunt lumina errorumque leues nebeculas dispel-
 lunt. Quot et quanta vero commoda inde in vniuersam rem-
 publicam redundent, cum permulti iidemque egregij scriptores
 copiose dudum exposuerint, fusius ostendere nec volo, nec
 debeo. Miserandam duntaxat sortem nationum bellis implicita-
 rum deploro, quae etsi litteras laudant et colunt, ab earum
 tamen suauitatibus percipiendis horribili armorum strepitu deri-
 nentur. Contemnuntur ab imperito milite viri sapientiae glo-
 ria celebres, silent ii, quorum ex ore fluunt praecepta melle dul-
 ciora, oratores disertissimi obmutescunt, et qui antea discipulo-
 rum frequentia ornati, quomodo vera fama solidaque gloria
 esset comparanda, ingenue docuerunt, tanquam umbratici do-
 ctiores derelicti ab omnibus, in angulis valde obscuris ignobile
 otium consumunt. Omnia iam iacent ruinis percussa, et quae
 ad vitam in litteris iucundius transigendam requiruntur subsidia,
 ea ita minuuntur, vt vel praestantissimi magistri immanem in-
 ediam tolerare cogantur. Sed horret animus immorari diuiciis
 malis, quae perperis studiosius horrorem incutiunt. Quam
 ob rem ad cara pacis bona paullulum diuertamus.

Plura pacis commoda.

Hoc vero loco omittere non debeo, ex pacis constantia
 tot et tantas nasci vtilitates, quot et quantas ne maximi quidem
 ingenij scriptores laudando assequi possunt. Omnes, quotquot
 de

de tuenda ciuium salute exposuerunt auctores, amicis suffragiis in hanc abeunt sententiam, eos populos esse beatissimos, qui rebus necessariis ac vtilibus vtiliter permutandis intenti, fructuosa cum aliis nationibus ineunt commercia, vt ea, quibus ipsi abundant, aliis humane impertiant, quibus vero egent, ab iisdem amice accipiant. *) Haec vero reipublicae praesidia pacis securitate fulciri optime, probabo breuiter simulque malitiosos aduersariorum errores redarguam. Quam commerciorum animam peritissimi harum rerum auctores semper esse existimant, gratam scilicet publicisque commodis consentaneam negotiandi libertatem, eam tum inprimis vigere animaduertimus, si peregrinis nullo metu deterritis, varias peragrarere terras, varia litterarum commercia iungere merces vndique allatas secure recipere, domesticas vero in distitas regiones transmittere licet. o) Uti enim ambitiosa saeculi luxuria infinita desiderat omnium mercium genera, ita nihil profecto accidit laeta earumdem abundantia ciuibus opportunus. Hinc mercatores in nundinas auolare cupidos, domum vero ditiores redire, laboriosos quoque

D arti-

*) Quod argumentum optime pertractauit Perill. GVTSCHEMIDVS in libello *cultissimo*, qui *fauor commerciorum* inscribitur.

o) Hodie quidem rerum innoxiarum commercia inter gentes bello implicitas vigere iisque sine fraude exercen-

dis foedera pangi scimus, vti MAsCOVIVS in *d. de foeder. commerc. §. 28.* et MABLY in *iur. publ. Europ. T. 2. c. 12.* ostenderunt, sed ob pericula tamen bellica ea saepe impediri vel nimis coarctari, facile constat.



artifices diligentesque opifices dies noctesque perficiendis operibus assiduam praestare operam, ubique obseruamus. Iam ciues secure otio honesto fruentes, ut variis voluptatibus animum corpusque reficiant, omnia vitae suauioris colligunt subsidia, vitamque agendo splendidius longeque sumtuosius, maximas quotidie impensas faciunt, et saepe ultra modum in congerenda splendida supellectile, exornandis magnifice aedificiis conuulsiisque instruendis opiparis aliisque similibus anxie occupantur. Inde vero mercaturam magna capere incrementa, quis est, qui negare auit? Fuerunt tamen, qui nihilo secius contraria profus iudicia facere non erubuerint, pacemque tamquam inertiae procreatricem commerciisque valde inimicam vehementer incusauerunt, quorum friuolas opiniones ideo, quod latius serpserrunt, uti par est, imminui cupimus. Hi vero publicae utilitatis parum memores, in pace artes frigare, torpere artifices, paucas vel minus opportunas quaestum faciendi occasiones reperiri, pecuniam cistis concludi laetumque ciuitatis florem marcescere, serio statuunt, perpetua bella, si fieri posset, gesturi. Sed hi in eo mihi grauiter peccare videntur, quod, dum singula reipublicae membra considerant, vniuersum corpus turpiter obliuiscuntur. Fac enim, quosdam ingentes corradere opes, plures tamen maximam fortunarum faciunt iacturam, ipsique nerui reipublicae maximopere debilitantur, cum agricultura, vnde egregii reditus proficiscuntur, deseritur, fruges segetesque laetae

tac corrumpuntur, splendida aedificia comburuntur, artificiosa celeberrimorum artificum opera perduntur, ciuiumque ditissimorum patrimonia vel nimis atteruntur, vel plane consumuntur. Cauendum igitur est, ne quis, dum nonnullos crescere exque bello lucrum flebile ac saepe cum aliorum ruinis valde coniunctum capere intelligit, diuitiarum amore correptus, omnem humanitatis sensum deponat parumque vtilem augendi diuitias occasionem vtilissimis temporibus anteponat.

Bella hodie inprimis fugienda.

SED vt in itinere, quod iniimus, procedamus feliciter, bella nostro inprimis saeculo parum esse commoda, paucis probabimus. Est haec laus nostrae aetatis fere propria, quod omnes Europae gentes in polienda humanitate, atque in litteris artibusque propagandis serio versentur. Hinc splendidae passim conduntur academiae, in quibus omnis diuinarum humanarumque rerum docetur sapientia, munifica nouarum artium inuentoribus proponuntur praemia, atque omnia, quae vitae humanae inferuiunt studia, prudentissimorum principum consiliis excitantur non minus ac adiuuantur. Ita vero pleraeque gentes communi litterarum artiumque vinculo copulatae, crebra iungunt commercia, iisque tuendis cum fidei praeuiscam bonamque monetam esse necessariam intelligunt, ^{p)} machinosas fraudes et turpes, quibus alii circumueniuntur, machinatio-

D 2

natio-

^{p)} Consulatur de VATEL in libr. excir. P. I. c. 10.



nationes feueris legibus interdicunt. Quarum aequitatem esse optimus quisque lubenter agnoscit, in bellis tamen parum curari, est intellectu facile. Nihil est tam sanctum, quod tunc non violet barbara audacia, nihil tam munitum, quod insatiabilis auaritia non perfringat, nihil denique tam praeclarum, quod turpis libido non comminuat. Iam tenues ciues variis vexati tributis duraque annonae caritate laborantes, diuites adeunt creditores tristemque inopiam depulsuri, pecunias sumere coguntur mutuas, durisque saepe conditionibus adstricti, vsuras iusto maiores promittunt. Quin eo nonnulli procedunt audaciae, vt vel sacrata principum iura aere flando, feriundo, adulterando, radendo, tingendo aliisque nefariis modis violent, artesque detestandas impune exercent. Quanta vero inde hodie inprimis gentibus oriantur incommoda, dicere multis nihil attinet. ^{g)} Sed sunt aliae caedemque non leues, cur bella his temporibus diligenter cauenda esse ducam, rationes. Ipsa sumtuum magnitudo in exercitus instruendos, subsidia belli viriliter gerendi damnaque data resarcienda, quorum tamen per multa ne resarciri quidem possunt, vt plurimum facienda, populos priscae frugalitatis tenaces a bellis suscipiendis deterrebit. Nihil de praestantissimarum vrbiu[m] rerumque longe pretiosissimarum ruina, nihil de flebili hominum, qui vniuerso generi huma-

^{g)} Perniciosa imprimis Germaniae esse bella, pluribus docuit *Auctor de causis leg. German. c. 6. §. u. seqq.*

humano profuerunt, interitu, nihil de morbis contagiosis, qui homines pecudesque vexant, nihil de caritate annonae, quae pauperes grauiter premit, nihil denique de infinitis, quae ex bellis plerumque nascuntur miseriis, dicam. Id tantum moneo, nostram aetatem, quo pluribus iisdemque longe praestantioribus vitae humanius agenda splendet bonis, eo acerbius ex eorundem iactura capere detrimentum, cui quidem reparando ne integra quidem saecula sufficiunt. Quod si quis hac de re dubitet, is quaeso, ut Graecos Romanosque omit- tam, damna vel hocce saeculo per tristia bella Germaniae illa- ta, tamquam diligens ratiocinator studiosius computet, sic enim credo, qui dissentiat, fore neminem. *)

Minuitur opinio, belli consilia urbanis esse praestantiora.

At inquit multi, animus magnus atque ad res excellen- ter gerendas natus, ex belli cum callide suscipiendi, tum pru- denter gerendi consiliis optime cognoscitur. *) Agedum hunc quoque scrupulum, qui insidet in nonnullorum animis, adhuc eximam. Sed ut inanes verborum contentiones eurentur, vi- rum vere magnum eundemque publicae salutis studiosum descri- bamus.

D 3

*) Pacis commoda bellicae incommoda eleganter nostraeque aetati conuenienter descripsit pulcro sermone de la Harpe, qui inscribitur discours des malheurs de

la Guerre, et des Avantages de la Paix, dignus, qui ab omnibus legatur.

*) Praeclara de hoc argumento iam attu- lit CICERO de offic. L. I. c. 22.



bamus Is vero vir magnus recte dicitur atque habetur, qui
 praeclaris naturae dotibus praeditus, solam virtutis viam in-
 nec spe vel metu adactus ab eadem deflectit, temerarias impe-
 ritae multitudinis opiniones negligit, temporibus prudenter ce-
 dit, ac tempora praesentia cum futuris coniungit, acuto inge-
 nio res futuras prospicit, et omnia, quae suscipit, non tam ad
 suam, quam potius ad publicam salutem refert, ea, quibus
 plerique homines capiuntur, honores, diuitias, voluptates ex-
 celsò animo despicit, in consiliis excogitandis follertiam, in
 negotiis expediendis prudentiam, celeritatem, fidem et indu-
 striam, in fortuna cum prospera, tum aduersa animum modera-
 tum, nec elatum nec fractum, in virtute denique colenda con-
 stantiam perpetuam ostendit. Quo tamen loco reticere non
 possumus, permultos in eo errare turpiter, quod magnitudinem
 alicuius hominis solis tantum ingenii virtutibus metiantur, so-
 lamque doctrinae multiplicis varietatem iudicijque subtilita-
 tem requirant, honestate animi profus neglecta. Quamquam
 enim multos honestatis parum studiosos ingenii praestantioris
 litterarumque exquisitarum laudibus floruisse, magnamque sibi
 famam comparasse, non nego, vereor tamen, ne eorum lau-
 des, si ad normam virtutis, qua magna a paruis optime discer-
 nuntur, exigantur, valde minuantur. Vera laus sine virtute
 non consistit, et fama vitiiis parta cito perit. Acuta quoque
 posteritas, quae de rebus praeteritis incorrupta plerumque fa-
 cit

cit iudicia, eos, qui facinoribus egregiis sibi aliisque perniciem contraxerunt, atro carbone notat, et tamquam foeda vitiorum monstra horrois causa proponit. Semper Herostrati, Attilae, Neronis, Domitiani memoria erit ignominiosa, quamquam eorum turpia facta ad omnem posteritatem transmittentur. Negamus igitur, quempiam rebus inhoneste gestis sibi unquam nobile viri magni nomen comparare posse, atque hanc laudem virtutis propriam esse volumus. Ex quo apparet facile, pacem humanitati maxime amicam veram animi magnitudinem luculenter probare, quia commodissimas beneficiis et aequitate iuandae et reficiendae alios, imprimis homines erectioris ingenii occasiones suppeditat, resque urbanas esse bellicis vel ideo, quod omne bellum pacis vel recuperandae vel conseruandae causa gerendum sit, maiores. Quid enim dicamus melius, populos seruare, an eosdem perdere, augere incolas, an minuere, vrbes aedificare, an diruere, artes propagare, an exstinguere? An is tibi magnus videbitur, qui copioso instructus exercitu inermes et imbecillos homines occidendos curat, et quae multorum annorum labore ab ingeniosissimis artificibus confecta, vel prouidis diligentissimorum patrum familias curis collecta fuerunt, vno die dissipat, quin vastat? Ego vero tanto quem maiorem esse duco, quanto beneficentia in omnes praesertim vero in pupillos, aegrotos, senes, egenos, atque in homines omni auxilio orbatos, collata, ad ipsum benignissimum Numen accedit
propi-



propius. Laudent alii cruentas multoque sanguine partas victorias, gloriososque victores carminibus ingeniosissimis celebrent, eorumque facta fortiter suscepta praeconiis ornent splendidis, equidem his sua merita non inuideo, nec laudes denego, modo mihi contingat tuto semper frui pacis otio, cuius perpetuitatem vti ex animo opto, ita nunc aliquot adhuc argumentis stabilire conabor.

Bella haud temere suscipienda.

DIU satis narrandis bellorum incommodis immorati fuisse videmur, quae multae gentes expertae haud fuissent, modo eadem temere non suscepissent. Non igitur erit a proposito alienum inquirere causas bellis iuste ineundis idoneas, simulque vituperare leues nonnullorum opiniones, qui bella temeraria cum iustis malitioso errore confundunt. Causa vero belli praecipua est illata alteri iniuria, qua quis affectus graue damnum patitur, quod dum is, qui fecit, refarcire recusat, reparaturus ius suum armis persequi cogitur. Graue igitur damnum exigimus, nec leuem aliquam honoris vel bonorum deminutionem ad malum tam horribile excitandum sufficere existimamus. Causam vero requirimus probabilem, quae non a temerariis cupiditatibus, sed a laudabili iuris tuendi studio proficiscitur. Vnde quisque facile animaduertet, bellum, quod religionis amplificandae, potentiae augendae, lucri faciendi, captandaeque gloriae

riae causa suscipitur, minus esse iustum. Quamquam enim religionem a vi improba defendere est licitum, ea tamen, cum certis nititur praeceptis, persuaderi, non imperari nedum viarum propagari debet, ut ideo expeditiones, quae vulgo vocantur cruciatae, prorsus sint improbandae. ¹⁾ Opes et acquirere et augere permissum, modo id non cum aliorum magno fiat incommodo. Quin passim in eo nonnullos lapsos fuisse scimus, quod omnem felicitatem multis iisdemque longe lateque diffusis terris contineri putauerint, totum si fieri potuisset, terrarum orbem occupaturi, cum tamen vehementer arduum sit tot tamque diuersas gentes tuto beatoque regere imperio. Huc quoque pertinet opinio eorum, qui aequalitatis seruandae causa bellum iuste commoueri statuunt, nullo pacto probanda. ²⁾ Quemadmodum enim in republica nemo alterum propterea, quod patrimonium suum casibus fortuitis, vel operosis artibus auxerit, in ius vocare, et ut eius bona ad pristinam quantitatem reducantur, petere potest, sic quoque vnus populus alterum ideo, quia hereditatibus, donationibus, commerciis, vel aliis modis ampliores consecutus est opes, turbare haud potest. Equidem scio, multos in excusandis huiusmodi bellis satis fuisse ingenio-

E

ingenio-

¹⁾ BVDDEVS in *select. iur. nat. et gent.*
 P. 97 *segg.*

²⁾ LEHMANNVS in *tractat. qui vniuersa*
vulgo bilanx Europae norma belli pacis-

que inscribitur. Legendus prae ceteris HEVMANNVS in *exercitat. iur. vniuers.* V. 2. in *commentar. de ciuitat. gent. §. 9. seggu.*



ingeniosos, eaque ex metu iusto ad repellendas iniurias, quas comminiscuntur certe futuras, oriri, sibi persuasisse, sed argumenta quoque parum idonea eosdem proposuisse, serio contendo. Is enim metus, quem tantopere urgent, falsis plerumque innititur suspicionibus, incerta pro certis amplectitur, animumque arguit paullisper malitiosum, qui fidem a perfidia, honesta confilia a fraudulentis parum discernit. Metum vero iustum ut dispellas, poteris idoneam cautionem a gente, quae tibi certa parere videtur mala, exigere. Qua tamen in re maxima erit cautio adhibenda, ne quis se metu vano abripi patiat. Quodsi quis eo erroris procedat, ut eum, qui nocendi potestatem habet, aliis certe nociturum esse credat, cuius erroris recte reus postulatur Hobbesius, vitam aget perpetuis angoribus plenam. Respuimus quoque detestandum errorem, ac si faciendi quaestus causa bella gerere liceret, cum tamen natura alios violare nosque eorum detrimento locupletare prohibemur. Quodsi magnam, qua flagrant, comparandae gloriae cupiditatem hoc modo sedare cupiunt, quid vera sit gloria, parum norunt. Nemo unquam faciendis iniuriis honestam laudem assecutus est, quae sola pulcris virtutibus, non vero odiosis vitiis et paritur, et conseruatur. Hinc quoque fides hosti, etsi religione differt, data, sancte seruanda, neque foedera amice inita facile rescindenda, licet duriores conditiones complectantur. v) Accedit, quod

v) B V D D E V S de contrahention. foeder. c. 3. §. 1.

quod bella dum finiuntur paxque desiderata restituitur, amnestia plerumque expressis verbis spondetur, vti ex instrumentis recentiore aetate pacis causa confectis luculenter perspicitur ^{w)} quam tamen stipulari ideo, quod paci tacite inest, vix est necessarium. ^{x)} Sed quoniam antea bellorum origines a damnis iniuria illatis repetimus, de his quoque paullo latius, quae nobis videntur, explicemus.

De damnis caute aestimandis.

DAMNUM dicimus omnem patrimonii iurisque deminutionem, quam vel nosmetipsi facimus, vel alii nobis faciunt. Quodsi igitur gens genti debita officia praestare recusat, siue lucrum per denegata commercia eripit, siue eius bona inuadit, possessiones turbat, iura usurpat, omittendo vel committendo damnum infert. In quo primo considerandum esse volumus animum, num dolo malo, vel culpa aliqua ex errore et ignorantia factum sit. Quamquam enim facile largimur, regulas, quas ius ciuile de variis culpae speciebus deque eiusdem praestationibus proponit, ad negotia liberarum gentium commode satis transferri non posse, non tamen est dubium, quin ipsa naturalis aequitas dolum a culpa, culpam vero supinam a parua, quam ne boni quidem patresfamilias semper effugiunt, distinguat, damnumque dolo vel crassa nimis negligentia datum turpius

E 2

pius

w) Vide quaesio pac. Osnabrug. art. 2.

x) Klüx d. de amnestia siue lege obliuionis

*) Commendanda hic est WOLF. HENR.

§. 4.



pius quin perniciosius esse ducat. Fac, gentem aliquam incolere terram, cuius fines aliquod flumen terminat, hoc vero, uti fit, cursum mutare pristinum iamque id currere remotius, ¹⁾ vel successione in novas provincias ex testamento sollemniter condito quaerere, an putamus, si ista gens errore levis opinionis abducta, terrarum a flumine relictarum vel testamento assignatarum possessionem sibi vindicat, arma confestim capienda, vimque hostilem aduersus eam esse exercendam? Equidem vtilius fore credo, viros ablegare prudentes et peritos, qui istos errores bona fide patefaciant eosdemque amicis admonitionibus corrigant, ut gens eorundem conuicta iniurias fugere discat. Omne enim bellum est propter tristia pericula dubiosque rerum euentus maxime pertimescendum. Itaque istud tamquam remedium vltimum idque durissimum tunc, quando lenius non adest, vel haud sufficit, erit adhibendum. ²⁾ Facta ergo iniuria exponenda erit prius dilucide, damni que facti restitutio amice postulanda, et si iuris dubii quaestio inciderit, ea viris harum rerum intelligentibus excutienda committenda, quorum graue iudicium omnino vim et auctoritatem debet habere maximam, nec pars laesa tentare concordiam facile desistet, sed amica con-

tum
¹⁾ Qua ratione controuersiae ex eiusmodi immutatione ortae sint decidendae, praecclare docuit *Perill. de HOHEN-TRAL* in *dissert. de foederib. finium*,
²⁾ Ipse HOBBSIVS primariam legem naturae dicit esse, quaerendam esse pacem, ubi haberi potest, in *libello de ciue c. 2. §. 2.*

tum vilitatem, adpersis vbique sinceræ amicitiae obseruationibus, vrgerè idoneisque rationibus comprobare perget. Quodsi alter obstinato animo optima quæque consilia reiiciat, imploranda aliorum, qui plus auctoritate valent, auxilia, atque ii, vt tamquam honesti arbitri amica interponant iudicia, rogandi, qui si nihil profecerint, caute ponderanda erunt omnia, inprimisque videndum, quid magis expediat, acerbum fuscipere bellum, an animo potius excelso leuem despiciere iniuriam. Si prius erit necessarium, curandum, vt istud minimo administretur periculo, et vt hominibus, et rebus, quantum fieri potest, parcatur maxime. Commemorarem hic cum aliqua laudis significatione istud, quod in Romana historia proditum est, Horatiorum et Curiatorum exemplum, cum paucorum certaminibus in conspectu vtriusque exercitus, res maxima confecta est, *aa)* nisi in reprehensiones multorum, qui res tam remotas cum prudentia huius sæculi parum congruere contendunt, incurrere videret. *bb)* Sed nescio, annon cum humano genere actum fuisset felicius, si loco proeliorum magnorum habita semper fuissent eiusmodi parua certamina. *cc)*

E 3

*Trans-**aa)* LIVIUS I. 1. c. 25.*bb)* Videatur *Perill. GEBAVERI Tullius Hostilius obseruat. illustrat. §. 9.**cc)* In LEIBNITII *cod. diplom. P. 1. d. 115. §. 10.* triplex pugnae genus narratur, corpus a corpis seu singulare certa-

men duorum, nombre a nombre seu pugna paucorum, pouvoir a pouvoïr seu pugna ab exercitu commissa. Optandum, vt priora potius quam postremum vsu gentium obtinerent.



Transactiones commendantur.

QVOD semel inii consilium, hoc non prius dimittam, quam penitus excussero. Pacis enim constanter retinendae amore commotus, eam, dum licebit, suadere conabor. Viderur vero bellum saepissime transactionibus prudenter factis declinari posse, quas utilitatis publicae causa optimo cuique probatum iri confido. Quo enim grauiora paruum etiam bellum minatur mala, quoque magis omnia reddit incerta, dum ciues aequae ac milites animo spe metuque distracto futura facta expectant, eo profecto magis necessariae videntur decisiones rerum dubiarum haud gratuita, siue populus, cui bellum imminet, viribus est superior, siue iisdem inferior. Potentior si quid de iure suo remittit, et imbecillum comiter tractat, aequitatis laudem reportat, qua haud scio an vlla cogitari queat praestantior, inferiorem vero ipsa prudentia iubet ab iniuriis inferendis abstinere, illatas vero moderato ferre animo. Transactionibus vero feliciter finiendis haud parum inferuiunt bonorum principum humana arbitria amique congressus. *dd)* Quid quaeso impedit, quo

dd) BOEGLERVS in d. de congressu et colloq. principum §. 7. seqq. iis pacem iuvare prudenter monet. Exemplum imitandum praebet Caesar, qui Pompeii colloquium vehementer optavit. Ita enim in commentar. de bell. civil. L. 1. c. 24. relatum legimus: quoniam

ad id tempus facultas colloquendi non fuerit atque ad se Brundisium sit venturus interesse rei publicae, et communis salutis se cum Pompeio colloqui: neque vero idem per se i longo itinere spatio, cum per alios conditione ferantur, ac sic eorum de omnibus conditionibus disceptetur.

quo minus gens aliqua ab altera paullo iniuriosius tractata, ad principis alicuius opibus longe eminentioris auctoritatem confugiat, eidemque controuersiam inprimis difficiliorem ex bono et aequo decidendam permittat? Quodsi quem odio vel gratiae aliquid daturum suspicatur, ad alium, in quem nulla prorsus mala cadit suspicio, prouocet, vel in duorum pluriumue arbitria compromittat. Optarunt quidem multi, vt tribunal vniuersae Europae commune erigeretur, coram quo omnes, quae inter gentes Europaeas agitantur, lites expedirentur, sed hoc consilium, quot et quantis difficultatibus sit implicitum, et quam parum nostro saeculo conueniat, iam dudum fuit animaduersum. Vtinam vero prisca fides amicae concordia ad nos rediret, principesque omnes amabili pacis studio tam arcte confociaret, vt vinculo humanitatis coniuncti, salutem ac quietem communem consiliis factisque amicissimis perpetuo conseruarent officiaque mutuae utilitatis, quae dici non potest, quantum ad concordiam confirmandam faciant^{ee}) sibi vicissim libenter praestarent! Ita Europa in dies magis magisque effloresceret saeculaque

^{ee}) Inuat huc transferre, quae MONTESQUIEU de caussis legum T. 1. L. 1. art. 3. his verbis pronunciat: *Le Droit des Gens est naturellement fondé sur le principe, que les diverses Nations doivent faire dans la Paix les plus de*

bien, et dans la Guerre le moins de mal, qu'il est possible sans nuire a leurs veritables interets. Nec quenquam legisse poenitebit ea, quae commode de hoc argumento tradidit PERILL. DE VATEL in libr. exciunt. P. 3. L. 4. c. 1.



que aurea, quae frustra piis votis omnes boni diu fatis optarunt, reuërterentur. De iure retorsionis, quod belli vitandi caussa recte adhibetur, aliquid post tot eximiorum virorum expositiones afferre haud est necessarium.

Pia nuncupantur vota.

HÆC hæctenus de pacis commodis eiusque tuendae rationibus. Si pacis amorem in animis nonnullorum excitauero, vel confirmauero, me laboris suscepti haud vnquam poenitebit. Equidem opto maximopere, vt Deus tutor pacis optimus maximus, tam carum eximiumque bonum quam diutissime nobis posterisque vrendum fruendumue concedat! Inspiret omnibus terrarum populis humanum gratæ concordiaë sensum atque eodem humanitatis vinculis ita coniungat, vt vnusquisque veram felicitatem alterius, omnes vero communem salutem omnibus modis tueri gestiant! Muniat in primis nostram Saxoniam firmissimis pacis perpetuæ præfidiis, eademque nullo vnquam belli tumultu labefactari sinat! Sic stabit salua incolumisque iustitia, vigebit legum prudentissimarum auctoritas, ciuitasque belli calamitalibus nimis fracta, lætæ pacis otio recreata, mox pristinum robur accipiet. Hæc iterum iterumque opto, atque omnes lectores, vt votis nostris pie consentiant, quibus possum precibus, obtestor.




VD
18

ULB Halle 3
005 361 745





8772

19
18

PACIS COMMENDATIO

QVAM

PRAESIDE

GEORGIO STEPHANO WIESANDIO

PROFESSORE INSTITVTIONVM ORDINARIO
CVRIAE PROVINCIALIS SCABINATVS

ATQVE ORDINIS IVRECONSULTORVM

ASSESSORE

DIE XXIII. DECEMBRIS A. S. R. CIOIO CCLXVII.

H. L. Q. S.

AB ADVERSARIORVM ARGVMENTIS PVBLICE DEFENDET

RIEDERIC. AVGVST. SCHILL

DRESDENSIS

VITEBERGAE

EX OFFICINA GERDESIANA.

